

Notat Ambrosius per cauterium hoc non tantum significari notam infamiae jam dictam, sed etiam *secundo* morum corruptionem; et *tertio*, eorumdem immutabilitatem. Unde S. Thomas : « Sicut cauterium, inquit, corruptio est in carne per ignem, sive ferrum ignitum, ex qua egreditur continuo putredo : ita ex igne perverse voluntatis quasi cauterio ulceratur conscientia, et egreditur falsa doctrina demoniorum. » Theodoretus vero ad tertium, scilicet ad morum immutabilitatem, alludens, per cauterium conscientiam stuporem eorum extremum accipit. « Locus enim, inquit, cauterio inustus priorem sensum amittit. » Ita et Franciscus Turrianus in *Can. 44 Apostolorum* : « Cauteriatam, inquit, conscientiam vocat Apostolus eam, quae sensum peccati amisit, instar partis cauterio inustae, » quae jam peruenit ad deolentiam, de qua dixi *Ephes. iv. 19*. Sic cauterium hoc idem pene est cum spiritu compunctionis, de quo dixi *Rom. xi. 8*.

Quarto, per ustionem cauterii posset ardor concupiscentiae et libidinis intelligi, *q. d.* Hi haeretici sunt hypocrite : nam exterius videntur frigidi et casti, prohibentque nubere; sed interius in conscientia uruntur et ardent cauterio concupiscentiae. Quanquam Graecum *κατακαυθησάντων* est praeteritum, nec proprie eos qui cauterio inurantur, sed qui inusti sunt, significat. Primus ergo sensus maxime est genuinus.

3. PROHIBENTUM NUBERE, ABSTINERE A CIBIS. — Est ellipsis Attica : supplenda enim est vox *κατακαυθησάντων*, id est jubentium, « abstinere a cibis. » Loquitur contra Simonianos, Saturninum (qui tempore Apostolorum vixit), Ebionem, Manichaeos, Marcionitas, Encratitas, qui dicebant nuptias, vinum, carnes, etc., non esse a Deo bono, sed malo, puta diabolo, creata, ac proinde haec natura sua esse mala et cavenda, eorumque esu et usu hominem inficere et maculari.

Id patet *primo*, ex ratione, quae eos impugnat Apostolus, cum subdit : « Quia omnis creatura Dei bona est, et nihil rejiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur, » *q. d.* Errant hi, dum aliquas creaturas natura sua esse malas et vitandas docent; nam omnis creatura Dei bona est, et ad usum homini data a Deo.

Secundo, id docent disertae Patres communi consensu, Chrysostomus, Theophylactus, Oecumenius, Ambrosius hic, et Augustinus, lib. *Contra Adimantum* cap. *xiv* : « Hos, ait, proprie designat, qui non propterea temperant a cibis talibus, ut aut concupiscentiam suam refrangent, aut infirmitati alterius parcant, sed quia ipsas carnes immundas putant, et earum creatorem Deum esse negant. »

Tertio, quia hanc fuisse haeresim Encratarum, quorum auctor fuit Tatianus, S. Justini discipulus, docet Irenaeus, lib. *I*, cap. *xxx*, indeque esse dictos Encratitas, id est continentis. « A Saturnino, inquit Irenaeus, et Marcione exorti, qui vo-

cautur Continentes, abstinentiam a nuptiis annuntiaverunt, frustrant s antiquam plasmationem Dei, et oblique accusae ales eum, qui masculum et feminam ad generationem nominum fecit, et eorum quae vocantur, apud eos animalia, abstinentiam induxerunt, ingrati existentes ei, qui omnia fecit, Deo. »

De Marcione haec habet Epiphanius, *haeresi 42* : « Docet hic (Marcion) animalis non vesci, pronuntians reos esse iudicii eos qui carnem edunt, velut qui animas edant. »

De Saturnino ejusque associis Irenaeus, lib. *I*, cap. *xxii*, ita ait : « Nubere et generare a Satana dicunt esse; multi autem ex his, qui sunt a Saturnino, et ab animalibus abstinent, perfecta hujusmodi continentia seducentes multos. »

De Manichaeis testis est Epiphanius, *haeresi 60*, eos de abstinentia ab animalis eadem docere cum Marcione : « Edentem, inquit, carnes Manichaeus animam edere dicit, et esse ipsum rem, et ut ipse tale quid fiat : si aurum edat, ut taurus fiat; si porcum edat, ut porcus fiat; et sic de reliquis. Quapropter ab animalis abstinent isti. Et si quis, inquit Manichaeus, uxorem duxerit, etiam ipse post discessum ex hac vita in aliud corpus transit, et fit mulier, quo etiam ipse nubit : dicit quoque Deum malum fecisse corpus, Deum vero bonum animas. »

Ex hisce verbis patet Manichaeos duplici de causa carnes animalium abstintisse : *primo*, quod putarent carnem esse malam a malo Deo; *secundo*, quod putarent comedentem carnem animalis, ejusdem animam occidere et comedere, reumque esse animicidii, vel etiam homicidii. Quidam enim inter illos putabant omnia animata vivere anima rationali. Hinc nec segetes metere, nec pinsere, nec panes coquere volebant; sed tantum coctos ab aliis comedeant, idque non nisi previa protestatione et excusatione cum timore et formidine. Unde haec erat eorum benedictio mensae et panis, teste Cyrillo Hierosolymitano, *catechesi 63* : « Ergo te non seminavi : seminat te Deus. Ego te non messui : metatur mens te. Ego te igne non coxi : coquatur qui coxit te. Haec alius fecit, et attulit mihi, ego sine culpa comedo. » Haec oratione utebantur, partim ut amolirentur a se culpam animicidii, vel homicidii; partim quia putabant eum, qui panem alter et intrepide comederet, in panem pariter esse mutandum, et ab aliis vicissim comedendum. Patent haec ex Epiphania et Theodoro, lib. *Haereticarum Fabularum*. Unde S. Augustinus, lib. *De Haeresibus*, in haeresi Manichaeorum, dicit quosdam eorum, praecipuos scilicet, nec carnis vesci, nec ovis, nec lacte, sed nec vino, dicentes vinum esse fel percipis tenebrarum, addique : « Ili quoque, ait, docent auditores suos, ut, si utantur conjugibus, conceptum tamen generationemque devitent, ne divina substantia, quae in eos per alimenta ingreditur, vinculis carnis alligetur in prole; unde

nuptias sine dubitatione condemnant, et quantum in ipsis est prohibent, quando generari prohibent, propter quod conjugia copulata sunt. » Similia habet lib. *XXX Contra Faustum*, cap. *v* et *vi*, ubi docet Apostolum eos hoc loco perstringere et damnare, non autem Catholicos, qui studio virtutis nuptias aut carnis abstinent. « Ille, ait Augustinus, prohibet nubere, qui hoc malum esse dicit, non qui hinc bono aliud melius anteponit. »

De Severianis idem docet Epiphanius, *haeresi 43* : « Hi, ait, docent vitem ex diabolo ortam, et mulierem opus esse Satanae. » Idem docuisse Archonticos narrat *haeresi 40* : « Ideoque, inquit, eos qui vaticinios contrahunt, opus Satanae explorare dicunt Archontici, adduntque dimidium hominis partem esse Dei, dimidium diaboli : nam ab umbilico et supra dicunt esse formationem Dei, ab umbilico vero et infra esse male partis formationem. Quapropter dicunt omnia secundum vultum, et ceteri stimulum, ac concupiscentiam ab umbilico et infra fieri. »

De Ebione, qui coevus fuit S. Joanni Apostolo, narrat idem Epiphanius, *haeresi 30*, eum ab animalis et a carnibus, omnique edulio ex carnibus facto abstintuisse; causamque rogatus hanc addebat, quod caro ex corporum commixtione procreata, ac proinde polluta ac immunda esset. Unde sequitur eum nuptias, et usum nuptiarum damnasse. Hinc S. Ignatius epistola *ad Philadelphos* post factam Ebionis mentionem : « Si quis, inquit, corruptionem et coinquinationem vocat legitimam commixtionem, et filiorum procreationem, aut aliquam escam execrabilem putat : hujusmodi habet colubitatorem draconem apostatam. » En tibi quasi in tabula depictam doctrinam demoniorum, quam Paulus hic taxat.

Nota : Haec omnes haereses indirecte mysterium incarnationis, de quo cap. praeced., vers. ultim., evertunt. Si enim caro non est bona, nec a bono Deo, ergo nec caro Christi bona est, et a bono Deo. Rursum, ergo pater Christi non est Deus creator omnium, sed malus genius. Et hoc significat hic tacite Apostolus, ideoque praemisit dogma fundamentale de incarnatione Christi; deinde illi subijcit has haereses, quasi illi oppositas, quaeque per hoc dogma fundamentale eliduntur.

Ineptae quoque haec Novantes torquent contra calibatatum sacerdotum et jejunia Ecclesiae. Non enim Ecclesia nuptias aut carnes prohibet, quasi per se malas, uti faciebant haeretici jam dicti, quos hic carpit Apostolus; sed ad refrinandam concupiscentiam, et ad exercendam obedientiam et penitentiam : sicut Deus Adamo prohibuit esum pomi scientiae boni et mali, et Jonadab, filius Rechab, suis Elis et posteris prohibuit usum vini, aliaque multa : qui obedientes patri benedictionem a Deo meruerunt accipere, *Jerem. xxxv*.

Ita Joannes Baptista ab abstinentia laudatur *Math. iii. 4*. Ita veterum sanctorum Eremitarum, Monachorum et Christianorum jejunia laudant

passim Patres. Quidam enim eorum animata proventus non attingebant, alii solos pisces, alii pisces tantum et volatilia degustabant. Nonnulli ovis abstinebant, alii solis dactylis vel arborum fructibus vescabantur, idque semel in die; alii biduo vel triduo semel tantum cibum sumebant, eumque modicum, *v. g.* quinque dactylis. Quidam siccum panem comedeant, ut videre est in *Vitis SS. Patrum*, et apud Prosperum, lib. *II De Vita contempl.*, cap. *xvii* et seq., et Cassianum, *Collat. 21 De remissione quinquagesimae*.

Notandum hic sophisma Novantium : argumentantur enim a dicto secundum quid ad dictum simpliciter, hoc modo : Pontifices clericis prohibent nuptias, ergo prohibent nuptias; quod carpit hic Apostolus. Perinde enim est ac si dicam : Magistratus vetat ne fabri murari aut ferrarii exercere lignariam; ergo magistratus vetat exerceri lignariam. Rursum, Status vetat ne ministri Evangelii exerceant sutoriam vel latrinariam. Quod si ad ministrorum decus nolint Status eos vilibus hinc mechanicis artibus vacare, num ideo mechanicus istas prohibet, aut ab aliis exerceri vetat? Si Imperator nolit ad militiam admitti Clericos, Doctores, Medicos, Theologos, Jurisperitos; num ideo prohibet clericatum, medicinum, theologiam, jurisprudentiam? Apostolus, *v. 42*, damnat viduarum, quae post votum continentiae nubent, conjugium : « Quia, inquit, primam fidem irritam fecerunt; » num ideo damnat conjugium?

Unde merito refellunt hos Novantes Patres citati, ac imprimis disertus S. Augustinus, lib. *XXX Contra Faustum*, cap. *vi* : « Videtis ergo, inquit, multum interesse inter hortantes ad virginitatem, bono minori bonum amplius proponendo; et prohibentes nubere, concubitum propagatione, qui solus proprie nuptias est, vehementius accusando : multum interesse inter abstinentes a cibis propter sacramentum significationem, vel propter corporis castigationem; et abstinentes a cibis quos Deus creavit, dicendo quod eos Deus non creavit. Proinde illa doctrina est Prophetarum et Apostolorum; haec demoniorum mendaciloquorum. »

Quos DEUS CREAVIT AD PERCIPIENDUM CUM GRATIARUM ACTIONE FIDELIBUS, ET IIS QUI COGNOVERUNT VERITATEM, — *q. d.* Deus qui omnes cibos creavit, viditque cuncta quae fecerat, et erat valde bona, *Genes. I*, hic cibos creavit ad usum et esum hominum, non voracem, deliciosum, gulosum, sed sobrium et moderatum, ut illis vescentes Deo, ciborum auctori et largitori, gratias agant. Hoc ipso quo ait Apostolus : « Quos, » scilicet cibos, « Deus creavit, » jugulat, inquit Chrysostomus, haeresim eorum, qui materiam ingentiam irroducunt, ut quae cibi et corpora creata sint, quod faciunt Marcion, Manichei et similes, qui duos ponunt deos, bonum et malum.

Nota : Dicit Apostolus cibos creatos ad

Quarto, ardentem libidinem.

Prohibent nubere, et cibos, qui dicunt illa esse a diabolo.

Probatur tribus rationibus.

Nuptias et cibos quasi in se malos damnant.

Hi sunt Ebionem, Manichaeos, Marcionitas, Saturninum, Ebionem, Manichaeos, Marcionitas, Encratitas, qui dicebant nuptias, vinum, carnes, etc., non esse a Deo bono, sed malo, puta diabolo, creata, ac proinde haec natura sua esse mala et cavenda, eorumque esu et usu hominem inficere et maculari.

Apostolus non damnat abstinentiam Ecclisiam, sed ad refrinandam concupiscentiam, et ad exercendam obedientiam et penitentiam : sicut Deus Adamo prohibuit esum pomi scientiae boni et mali, et Jonadab, filius Rechab, suis Elis et posteris prohibuit usum vini, aliaque multa : qui obedientes patri benedictionem a Deo meruerunt accipere, *Jerem. xxxv*.

fideliū, non quod neget eos ad usum infidelium et Ethnicorum quoque creatos esse; sed ut fideles; id est Christianos, opponat Iudeis; veritatem legē nō ea, umbrā veteris legis, *g. d.* Nullus est cibus ob immunditiam sive naturalem, sive legalem, interdictus Christianis, uti olim Iudeis nulli erant interdicti: nam Christiani pro umbra veteri habent veritatem Evangelii, quae docet omnes cibos esse mundos et datos homini ad esum et usum cum gratiarum actione. Ita Theophylactus.

Secundo, potius opponit fideles haereticis, quos hic taxat, *g. d.* Haeretici jam dieti abstinent et vetant cibos quosdam quasi natura sua malos et immundos: verum fideles, qui cognoverunt veritatem, sciunt eos falli, Deumque bonum omnia bona creasse, adeoque bonos cibos omnes sibi ad usum a Deo datos esse.

Adde, omnia creata esse propter fideles et electos: hie enim potissimum fuit creatoris Dei finis in creatione, ut scilicet creata a se servirent suis fidelibus et amicis, utque ex eis agnoscerent et laudarent Deum creatorem suum.

Vinum ergo, carnes, aves, pisces et alimenta omnia non creata sunt ut impliant ventres gulonum et improborum, sed ut fideles et sanctos pascant. Hi enim cibis et deliciis omnibus digni sunt, hique iis socrē et rite utuntur ad laudem et gratiarum actionem Dei creatoris sui. Porro gratiarum actionem non tantum postponendam, sed et preponendam esse cibo et refectio, docet S. Basilius, *Reg. 56*, cap. II, et Chrysostomus, hom. 30 in *Math.*: « Quando, ait, Christus panes multiplicavit, tunc in caelum respexit, partim ut ea quae diximus firma haberentur, partim docens nos non esse ad mensam accedendum quousque gratias et agamus qui cibum nobis praebuit. » Et S. Hilarius exponens illa verba S. Marci XIV, 23, « Manducantibus illis, accepit Iesus panem et benedicens fregit, etc., et accepto calice, gratias agens dedit eis, et biberant: Sicut, ait, Apostoli gratias agunt antequam biberent, ita etiam gratias agunt postquam biberunt. Unde dicitur: « In hymno dicto exierunt in montem Oliveti; ut scilicet ad discas et ante cibum et post cibum gratiarum actiones reddere Deo. » Et S. Ephrem, *adhortatione 1*, tom. II: « Canonem, inquit, seu regulam cum omni reverentia et timore Dei sequere: licetque bis in die ad comedendum tradatur, semper cibum cum gratiarum actione sumito. » Formulam vero gratiarum actionis, quam usurpabant post cenam monachi in cremo, nobis imitandam tradidit Chrysostomus, hom. 36 in *Math.*, estque haec:

« Benedictus Deus, qui me pascis a juventute mea, qui carni omni cibum praebes, replebis letitia et gaudio corda nostra, ut semper satis habentes ad cano opus bonam abundemus in Christo Jesu Domino nostro, cum quo tibi gloria, honor et imperium cum Sancto Spiritu in saecula. Amen. Gloria tibi, Domine, gloria tibi, sancte, gloria tibi,

rex, quoniam dedisti nobis eses; gaudio et letitia reple nos in Spiritu Sancto, et inveniamur in conspectu tuo acceptabiles, ne iudicemur quando unicuique reddes secundum opera sua. »

4. QUIA OMNIS CREATURA DEI BONA EST, ET NIHIL REICIENDUM, QUOD CUM GRATIARUM ACTIONE PERCIPIATUR. — Hic clare radicem erroris erroneum ipsum detegit Apostolus, scilicet erroneos istos prohibuisse nuptias et carnes quasi creaturas malas mali Dei, ac proinde naturae sua immundas, quae comedentem immunditia sua contaminarent. Contra hos enim contrarium fidei et veritatis fundamentum statuit Apostolus, dicens omnem creaturam bonam esse, utpote a bono Deo creatam, ac consequenter nullam rejiciendam esse, quasi natura sua malam et immundam, sed qualibet quasi munda et bona uti licere cum gratiarum actione. Jam Ecclesia indiciois jejunium et abstinentiam a carnibus, non eas vetat quasi natura sua malas; ac proinde cum his erroribus, quos carpit hic Paulus, nihil habet affine: si enim medicus vetans carnem porcina, cervinam, bovianam, aut quamvis salsam, vel infusam agro, quasi noxiam ejus valetudini, non contrariat Apostolo, nec cum erroribus his quidquam habet commune; ergo nec Ecclesia vetans carnes certis diebus ad sanitatem animae, atque ad refrenationem luxuriae et concupiscentiae, contrariat Apostolo, aut erroribus huiusmodi. Audi S. Augustinum, lib. XXX *Contra Faustum*, cap. III: « Crede, ait, Dei servos, qui a carnibus abstinent, non tanquam immunda, quae a Deo facta sunt, respicere; sed a fortiori cibo et potu sola castigatione corporis abstinere. »

Porro cum ait: « Nihil rejiciendum quod cum gratiarum actione percipitur, » alludit ad benedictiones crebro et ad nova fercula iteratas Hebraeorum, quibus Deo pro iis gratias agunt, eaque quasi sanctificant. Cum enim melius vinum apponitur, dicunt: « Benedictus sis, tu Domine Deus noster, qui bonus es et benigne facis omnibus. » Et hanc benedictionem vocant « Benedictio benigni et benefactoris. » Cum aromata apponuntur, dicunt: « Benedictus sis, Domine Deus noster, rex mundi, creator arborum aromaticarum. » Hanc benedictionem appellant *Bircat hannuqmar*, id est benedictio consummat, scilicet convivii, quia ultimo apponi solebant aromata alicuique odoramenta, ut et apud nos etiam mos est. Cum suave odoramentum aliquod apponitur, dicunt: « Benedictus sis, tu Domine Deus noster, qui creas species aromaticas. » Hanc benedictionem nunciant *Bircat hannuseak*, id est benedictio deliciarum, vel rei appetitae. Cum fructus arborum apponuntur, dicunt: « Benedictus sis, Domine Deus noster, qui creas fructus arborum. » Cum apponuntur osonia dicunt: « Benedictus sis, Domine Deus noster, qui creas gener. ciborum. » Hanc benedictionem vocant *Bircat hapharpheret*, id est benedictio opsonii. Ex his omnibus apparet, ve-

teres illos Iudeos, nullos cibos absque benedictione et gratiarum actione sumere fuisse solitos. Si Hebraei toties iterant benedictiones ad Dei laudem, quid docet facere Christianos? Sane eos ex usu Hebraeorum in olim fecisse, insinuat hic Apostolus; primi enim Christiani fuerunt Hebraei.

5. SANCTIFICATOR ENIM PER VERBUM DEI ET ORATIONEM. — Est concessio, *g. d.* Dixi jam cibum quemvis non esse immundum, ac proinde eo vesci licere; sed esto, sit aliqua ratio, puta quia lege veteri vetitus, aut quia diabolo immolatus, vel ab illo afflatus aut vitiatum est; sit, inquam, hac aliave ratione immundus, « sanctificatur » tamen, id est mandatur et purificatur, « per verbum Dei » et orationem, id est per benedictionem, quae fit per verbum Dei et orationem. Ita ex Chrysostomo Theophylactus: « Demus, inquit, quod quidpiam sit immundum; sed habes medicinam: signa, gratias age, glorifica Deum; ac deficit immunditia. Nam gratiarum actio cuncta purgat. Qui vero ingratus est, ipse est immundus et pollutus; proinde quod idolis est immolatum, sic mundare possumus, si ignoremus idolothytum esse. Enimvero si scientes sumpserimus, immundi sumus, non quia illud idolothytum sit, sed quia legem transgressi sumus praecipientem non communicandum esse mense demoniorum. Voluntas itaque tua et mens coinquinala est, nec cibum fuit pollutus. Ubi advertit: Sicut, docente S. Chrysostomo et Theophylacto, idolothytum esse poluit hominem, non per immunditiam carniū, sed per inobedientiam; ita esus carniū in Quadagesima pollutuit hominem, non per carnes, quasi ille immundus esset, sed per inobedientiam. »

Nota primo: « sanctificatur » hic idem est quod purificatur; vel secundo, « sanctificatur, » id est Deo per gratiarum actionem et benedictionem quasi offertur et consecratur.

Alludit ad benedictionem mensae Hebraeorum, quam ipsi *kiddush*, id est sanctificationem, scilicet ciborum, vocabant et etiamnum vocant; cuius formula haec est: « Benedictus sis Domine Deus noster, rex mundi, qui cibis totum mundum bonitate, gratia, beneficentia et misericordia tua, qui dat alimentum omni carni: cuius bonitate nec haecens defuit, nec deerit cibum unquam, propter magnum ejus nomen. Solus enim is est, qui vegetat et conservat omnia et benefacit omnibus, et cibum preparat singulis creaturis suis quae condidit. Benedictus sis, tu Domine, qui cibas omnia. » Deinceps patrifamilias poculum vino repletum dextra manu apprehendit, atque in hunc modum consecrat, dicens: *Barukatta Jehova Eloheinu, melech haolam, bore peri haggephen*, id est, Benedictus sis, tu Domine Deus noster, rex mundi, conditor fructus vitium. Hac benedictionis formula dicta, primus omnium vinum ipse degustat, idemque mox omnibus mense acumbentibus degustandum porrigit. Et hanc orationem hebraice *kiddush*, id est sanctificationem, vocare so-

lent. Post calicis benedictionem et sumpcionem idem statim panem, quem integra massa consistare oportet, accipit, eumque utraque manu ascendendo his verbis consecrat: « Laudatus et benedictus sis, tu Domine Deus noster, qui educis de terra panem. » Hocque dicto, patrifamilias poculum de pane edit, simulque singulis mense acumbentibus buccellam de eo distribuit. Quo facto, tum demum reliquis epulis manus injicit. Hunc ritum benedicendi calicem et panem in festivis tantum diebus observant: alias enim panem duntaxat, et non poculum pariter, consecrare solent.

Nota secundo, posse distinguere hic « verbum Dei » ab oratione, ut oratio idem sit quod benedictio mensae; Verbum Dei sit, vel Christus, Filius Dei, qui in mensa benedictione solet invocari, ut vult S. Thomas; vel potius sit lectio sacrae Scripturae, quae, ut mox dicam, ex veterum more mensis adhiberi solet.

Verum secundo, melius, per hendiadyon, vel epexegesim, haec duo pro eodem accipiamus, *g. d.* Per « verbum Dei et orationem, » id est per Verbum Dei, quod est oratio. Imo Oecumenius dicit: « Dei praeposteri ordine hic ponit et debere sequi orationem, *g. d.* Per verbum et orationem Dei, id est quae fit ad Deum. »

Ubi nota tertio, benedictionem mensae tribus hic nominibus vocari. Primo, vers. praeced. vocatur « gratiarum actio, » quia veteres et ipse Chrysostomus et Theophylactus, idolothytum esse poluit hominem, non per immunditiam carniū, sed per inobedientiam; ita esus carniū in Quadagesima pollutuit hominem, non per carnes, quasi ille immundus esset, sed per inobedientiam. »

Secundo, benedictio mensae vocatur « verbum Dei, » quia fit per invocationem Christi aut sanctissimae Trinitatis, quam nos invocare docet verbum Dei.

Rursus communiter apud Ecclesiasticos fit per Verbum Dei, id est per versus aliquot ex sacra Scriptura, praesertim e psalmis petitos, puta hos: « Oculi omnium in te sperant, Domine: aperis tuam manum, et implebis omne animal benedictione, » etc., aut similes.

Tertio, eadem benedictio vocatur « oratio, » quia proprie est oratio et invocatio.

Pro quo nota quarto: Haec benedictio et invocatio Dei, quam mensae praemisimus, ostendimus et profitemur primo, nos a Deo cibos feracitiae omnia accepisse, accipere et deinceps nos accepturos sperare, tactique Deo pro iis gratias agimus. Quoties enim nos ad mensam accingimus, toties ad vitam beneficentiae Dei, tot es-

culenta et poculenta largientis, concionem accedimus; debemusque cogitare hoc esse quasi manna nostrum, quod et celo nobis æque ac Hebræis in deserto, quotidie in mensam depluit. « Mensa, inquit Chrysostomus, hom. 79 ad *Populum*, ab oratione sumens initium et in oratione desinens, nunquam deficit, sed fonte largius omnia nobis affert bona. »

Secundo, hac oratione ostendimus nos ad Dei honorem velle eis vesci, taciteque ea Deo offerimus. Unde et Gentiles, ut testis est Plutarchus in *Symposiacis*, cibum sumpturi diis consecrabant *τῶ ἀρχαίῳ*, id est primitias; ac deinde non indecore, neque tumultuante, sed religione quadam ad convivium accedebant, non aliter quam ad sacrum epulum; qui mos et hodie servatur apud bene moratos Christianos.

Tertio, oramus et pelimus ut id fiat, ne instar pecorum aut infidelium in cibos irruamus sine alla pia cogitatione, aut Dei memoria. Unde etiam Turcas antequam cibum sumant, precationem solitos præmittere, testes sunt legati Christianorum Principum apud Turcam. Et de Essenis, non Christianis, sed Judæis, ita scribit Josephus, lib. II *Belli*, cap. vii: « Voco, ait, sacerdos cibum anteverit, neque fas est gustare quemquam, nisi prius Deo celebretur oratio. Post finem quoque prandii vota repetunt: nam et cum incipiunt et cum desinunt, quasi datorem victus Deum laudibus canunt. »

Quarto, hac benedictione petimus, ut usus cibi et corporis et animæ valetudini sit utilis et salutaris; ut, sicut dicitur *Psal.* cii, « vinum lætificet cor hominis, et panis cor hominis confirmet: nam aperiente te (Domine) manum tuam, omnia implebuntur bonitate. »

Quinto, hac benedictione petimus, ut inter vescendum mens aliqua pia cogitatione vel lectione pascatur, hæc præsertim, ut cogitemus in ipso cibi corporalis usu, edendum esse non tantum ut satiemur, sed ut operemur etiam cibum qui non pereat, sed permaneat in vitam æternam, *Joan.* vi; et, ut dicitur *Lucæ* xiv, ut cogitemus etiam de edendo pane in regno celorum. Hinc pia lectio sanctæ Scripturæ mense jam olim adhibita est tum ab aliis, tum ab Essenis, teste Philone, lib. *De Vita contemplativa*; eademque adhibendam esse docet S. Augustinus, *epist.* 109, et S. Basilus in *Regulis brevior*, cap. cxxx; imo talem lectionem hic ab Apostolo significari per verbum *Dei* putat Valabius et alii.

Sexto, eadem petimus, ne cibis diaboli aut magica potestate inficiatur, neve diabolus aut concupiscentia per cibum nos in comestiones, ebrietates, libidines incitet: facile enim in comedendo et bibendo surrepit intemperantia, et multi cum illo Epulone, *Luc.* xvi, toti sunt in deliciis. Itaque recte monet S. Augustinus, lib. *X Confess.* xxxi: « Hoc, inquit, docuisti me, Domine, ut quemadmodum medicamenta, sic alimenta sumpturus accedam: » et infra: « Quis est, Domine, qui non ra-

ptuarum quantum extra metas necessitas? quis est, magnus est, magnificus nomen: tum: ego autem non sum, quia peccator homo sum. »

Hinc Prudentius in hymno ante cibum, piam et pulchram hanc precandi formulam quasi benedictionem præscribit:

Te sine dulce nihil, Domine;
Nec jurat ore quid appere,
Pocula ni prius atque cibos,
Christe, tuus favor imberit,
Omnia sanctificante fide.

et infra:

Fercula nostra Deum sipiant,
Christus et infuset in patinas,
Seris, ludicis, verba, jocos,
Denique quod somus atque agimus,
Trina superna regit pietas.

et sub finem:

De, locuples Deus, hæc famulis
Rite præcibus, ut tenni
Membra cibo recreata levant,
Neu piger inmodis lapsus
Viscera tanta gravet stomachus,
Vospicet ut jecur incolame.

Nam quantum potestatis usurparit sibi dæmon in cibos ante Christum, ut per eos noceret hominibus, docet S. Augustinus, lib. XVIII *De Civit. Dei*, xvii et xviii; et S. Gregorius, lib. I *Dialog.* 4, narrat dæmonem invasisse Monialem, quod lactucam sumpsisset non præmissa benedictione. Unde Chrysostomus contra hæc diaboli veneficia remedium præscribens signum crucis et benedictionem: « Medicamentum, inquit, in promptu est, signum crucis illi (cibo, aut rei qua uti vis) impime, gratias age, Deo gloriam refer, et profinus immunditia omnis abscessit. »

Hinc a sanctis Patribus et Eremitis olim, æque ut ab Ecclesia etiamnum fit, benedicebantur non tantum aque fontis baptismalis, sed etiam panes, mel, lac, vinum, aliæque stas diebus, ut diaboli vis ac potestas ex iis expelleretur, et per hæc consecrationes fieret sanitas mentis et corporis iis qui illis uterentur.

Sic in die Paschalis multis in locis consecratur lac, mel, carnes, ova, panes, pernas, etc.; in die S. Joannis benediceunt vino; in die S. Stephani, pascus; in die S. Marci, segetibus; in die Assumptionis B. Virginis, herbis, plantis, radicibus, fructibus arborum, ut eis deinceps adsit singularis vis divina. Nam, ut ait Apostolus hic, « sanctificatur (creatura Dei) per verbum Dei et orationem. »

6. Hæc (omnia jam dicta) PROPONENS FRATRIBUS (Christianis), BONIS ERIS MINISTER CHRISTI JESU, ENCRITUS VERBIS FIDEI, ET BONÆ DOCTRINÆ QUAM ASSUCTUS ES. — Nota: Pro *encrius*, græce est *ἐνταρξιας*, id est inutritus, et quasi in ipso sinu pietatis educatus es. Ita ex Chrysostomo Theophylactus: « Perinde enim, inquit, ut corporis alimentum semper sumimus, sic fidei rationibus et sermonibus semper nos oportet inutriti immo-

trivique. » Posset secundo, *ἐνταρξιας* verti, « nutritriens alios: » est enim participium medium; et hoc apte a heretico quod sequitur: « Quam assuctus es, » *q. d.* Trade aliis, quod a me didicisti.

Nota secundo: Pro *quam es assuctus*, græce est *ἐνταρξιας*, id est, quam es assuctus, in qua ab adolescentia es versatus, *q. d.* ut Chrysostomus et Theophylactus: Assidue in divinarum litterarum studio es versatus et exercitatus, o Timothee. Qui enim seriem omnem rei totius ordine sequuntur, ut nihil omittant, græce *ἐνταρξιας* dicuntur, inquit Erasmus.

7. INEPTAS (*βέλτερος*, id est profanus) AUTEM ET ANILES FABULAS DEVITA. — Græce, *παρὰ τοῦ*, id est rejice. Chrysostomus intelligit fabulas Judaicas, alii poeticas et Platonicas (poete enim et philosophi celebres erant Ephesi). Verum licet in genere omnes hæc fabulas intelligat Apostolus, magis tamen respicit ad fabulas hereticorum, præsertim Simonianorum, qui contaxabant longissimas fabulas de rerum creatione, de pugnis angelorum, de conjugis dæorum, de Deo bono et malo, de creaturis, ac cibis bonis et malis (de his enim paulo ante egit), ut videre est apud Epiphanium, *træneum* et Augustinum, *lib. De Heres.*

Refert Laertius, quod, cum Plato de ideis suis specificis et genericis disserteret, atque in ore haberet mensitates et cyathitates, Diogenes irridens subiles ejus nugas dixerit: « Mensam ac cyathum video, mensitatem et cyathitatem non video; ego bibam cyathum, tu bibe cyathitatem; quem eludens Plato: « Non mirum, ait, nam oculos habes quibus cernuntur mense et cyathi; me, tem vero non habes qua cernuntur mensitates et cyathitates. » Gorgias quoque sophista, cum duos audiret indoctos philosophos, unum ridicula proponentem, alterum aliena et insulsa respondentem: « Uter, inquit, stultior est, qui mulget hircum, an qui cribrum supponit? » Demonax item curiose querentibus an mundus esset anima et ratione præditus, et an esset rotundus? « Vos, ait, plus æquo de mundo solliciti, parum de vestra ipsorum munditie cogitatis. »

EXERCE AUTEM TE IPSUM AD PIETATEM, — id est iera pietatem, vel in pietate. Vide *Can.* 25. Pro « *exerce*, » græce est *ἐπιμαρτῆ*, id est exerce te athleticè, tanquam athleta vel pugil Christi, in arena, aut stadio pietatis, ut ejus bravium assequaris.

Nota *exerce*: pietas enim omnisque virtus et ars magis exercitio assiduo, quam multa speculatione addiscitur, acquiritur et perficitur. Hinc Apelles, inquit Plinius, lib. XXXV, cap. x, pro more habuit, ut nunquam tam occupatum diem ageret, quin lineam duceret et pingeret. Unde illud:

Nulla dies obeat, quin lineæ ducta superis.

Queritur, quid hic significet « pietas. » Primo, Chrysostomus intelligit vitam rectam et mores

Christianos. « Pietas, inquit, rectissima vita norma est, et conversationis optima disciplina. »

Secundo, Ambrosius intelligit misericordiam et beneficentiam in proximum. Hæc enim græce *φιλοτιμία*, et latine *pietas* subinde dicitur, eo quod Deus opera misericordie præcipiat, testaturque ea sibi præ sacrificiis placere, ac se iis apprime colat. Ita S. Augustinus, lib. X *De Civit.* 1.

Tertio, Nilus, Maximus, Philotheus intelligunt apathiam et Dei contemplationem, ut mox dicam.

Quarto, optime et propriissime, « pietas » Deum respicit, estque Dei cultus et sincerus erga eum affectus, ac studium internæ devotionis, excitans ad spem, timorem et amorem Dei. Unde Septuaginta timorem Domini solent vertere pietatem, ut *Job* cap. xxviii, vers. 28, ubi Hebræa et Latina habent: « Timor Domini ipsa est sapientia; » Septuaginta vertunt *σοφία*, id est quod habemus est sapientia. Sic *Prov.* ix, 10, pro eo dicitur pietas: « Principium sapientiæ timor Domini; » Septuaginta vertunt, initium sapientiæ est *σοφία*, id est pietas in Deum. Sic sæpe in Scriptura timere Deum significat Deum colere, et timor Dei significat Dei cultum sive pietatem. Sic proprie sumit « pietatem » Paulus, vi, 6: « Est, ait, quæstus magnus pietas cum sufficientia; » et vers. 11, pietatem a charitate et aliis virtutibus distinguit: « Sectare, inquit, justitiam, pietatem, fidem, charitatem, patientiam, mansuetudinem. » Sic etiam hic accipi patet ex ratione quam subdit: « In hoc enim, inquit, laborationem et maledicimus, quia speramus in Deum vivum, » *q. d.* Quia per spem et orationem exercemus nos in pietate et cultu Dei veri, ideo maledicimus.

Ubi nota: Pietatem hanc opponit ineptis fabulis; hæc autem oppositionem significat conjunctio adversativa « autem, » *q. d.* Homines vani et curiosi exercent se in fabulis legendis, audiendis, narrandis: tu vero, o Timothee, exerce te in pietate, id est in rebus divinis legendis, cogitandis, meditandis, ut earum amorem, affectum et devotionem in te excites, quam in alios deinde effundere possis: non ergo in nugis hæc, quæ mentem distrahant et vanis phantasmatis impleant, sed in pietate te exerce. Hæc enim pietas est fundamentum omnis virtutis, ac præsertim zeli animarum.

8. NAM CORPORALIS EXERCITATIO AD MODICUM UTILIS EST, etc. — Querens, quæ vocetur hic « corporalis exercitatio? » Respondeo, multi intelligunt jejunium, *q. d.* Jejunium et castigatio corporis parvi est momenti, si cum pietate, id est Dei cultu et compassione erga proximum, eam compares. Ita Ambrosius, Anselmus, S. Thomas et Bernardus in *Apologia* ad Guilielmum abbatem.

Verum hoc refellit Chrysostomus, Theophylactus et alii, tum quia de jejunio nihil hic præcessit, et, si de eo loqueretur Apostolus, clare diceret: Jejunium ad modicum utile est; tum quia jejunium inquit Chrysostomus non corporalis,

sed spiritalis est exercitatio, habetque æque ut pietas promissionem non tantum hujus vite, sed et futurae. Nam recte ex S. Basilio Ambrosius, lib. *De Vita et Jejunio*, cap. III: « Quid est jejunium, nisi substantia et imago celestis? Jejunium refectio animæ, citus mentis est. Jejunium vita est angelorum, jejunium culpæ mors, excidium delictorum, remedium salutis, radix gratiæ, fundamentum est castitatis. Hoc ad Deum citius gradu pervenitur. » Et, ut S. Ephrem agens *De Jejunio*, cap. IX, ait: « Jejunium est vehiculum ad cælum. Jejunium Prophetas suscitavit, legislatores sapientiam docet. Jejunium bona animæ custodia et securus corporis cohabitator. Jejunium strenuus militibus telum, athleticque exercitum. Jejunium tentationes retundit, ad pietatem inungit. Jejunium ignis virtutum extinxit, ora leonum obturavit, orationes in cælum dirigit. Jejunium mater est sanctitatis, juventutis disciplina, ornamentum senibus. »

Etiam, aliquid figurat inepias fabulas.

Hinc secundo, melius posset hæc corporalis exercitatio referri ad ineptas fabulas de quibus immediate præcessit, q. d. Non corpus aut linguam exerceat ut tere in narrandis fabulis: hoc enim mulierum est et fabulorum; sed mentem tuam exerce pietate et devotionis studio: hæc enim antithesis videtur significare vox autem, quæ præcessit vers. præcedenti, ut ibi dixi.

Tertio et proprie, corporalis exercitatio est lucta et exercitatio athena.

Tertio et planissime, « corporalis exercitatio » dicitur græco ἀσπασιν γυμνασία, id est, gymnastica lucta et exercitatio athletarum, qua summus corpus cursu, lucta, saltu, pugna aliisque modis exercet: Iudit enim Apostolus in Græco verbo γυμνασία, ejusque vim et energiam urget, q. d. Dixi γυμνασία, id est, gymnasticam exerce, sed in arena pietatis; nam gymnastica corporalis, lucta scilicet et corporalis exercitatio athletarum, ad modicum utilis est, scilicet ad sanitatem, vel ad bravium et premium temporale tantum. Pietas vero, id est Dei cultus, perutilis est ad procurandam animæ sanitatem, et ad promerendum bravium vite æternæ, adque alios docendos, et ad fidem ac salutem deducendos, ut sequitur; adeoque pietas hæc ad omnia utilis est, quia, ut dixi, est omnium virtutum fundamentum, fons et parens. Hinc S. Augustinus, *epist. 32*, pietatem definit: « Pietas, inquit, est verax veri Dei cultus, unde omnia recte vivendi decantur officia; » et Ensebius, lib. VIII *De Præpar. Evang.*, cap. II, omnes virtutes affirmat esse quasi partes pietatis. Unde et Theodosius Imperator Christiani hominis felicitatem in pietate ponebat, qui moriens, ait Nicophorus, lib. XIII, cap. I, nil tam impense commendavit filiis suis Arcadio et Honorio, quam ut veram pietatem conservarent, per quam pax et omnia bona florent.

Theodosius in rebus suis commendavit pietatem quasi bonam omnium salutem.

Gnot enim Apostolus scribens ad Græcos sæpe alludere ad eorum palæstras et certamina, iisque comparare palæstras et certamina Christianæ pietatis. Sic I *Cor. cap. IX*, vers. 24 et 25: « Nescitis,

inquit, quod si qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium? Sic currite, ut comprehendatis. Omnis autem qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet, et illi quidem ut corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam. » Quid hoc est aliud, quam quod hic ait, licet aliis verbis? « Corporalis exercitatio ad modicum utilis est: pietas autem ad omnia utilis est, promissionem habens vite quæ nunc est, et futura. »

Nota obiter: Corporalis exercitatio præsertim ante cibum valde confert ad valetudinem, ut docent medici et experientia. Hinc Socrates ante eam contentius ambulabat; rogatus cur? dixit, « se quo melius conaret ambulando obsonare famem. » Ita Cyrus non cœnabat, nisi ante exercendo corpus sudasset, teste Xenophonte. Ita in epistolis Indici legitimus regulos ibi aliquos quotidie ante cibum corpus valide et diu exercere solitos, ad longam et vegetam senectam pervenisse, ita ut, cum essent septuagenarii, vix viderentur esse quadragenarii. Ptolæmo regi Egyptum peragranti, cum cibarius in casa panis datus esset, nihil visum est illo pane jucundius. « Optimum enim condimentum est fames; » hæc autem labore paratur. Ita Cicero, lib. V *Tuscul.* « Rusticus, ait S. Bernardus ad fratres, duos habet nervos, laetos fortes: exercitatio hoc facit, sive curi corpore inolescit: voluntas facti usus, usus exercitium, exercitium vires subministrat. » E contra-rio Cassianus, lib. IX: « Sine exercitatione, ait, dum studia consueta non frequentantur, brachia in corporibus, ingenia pigrescunt in artibus. » Aristoteles, lib. V *Metaphys.*: « Exercitium, ait, est causa sanitatis, et e converso. » Cellius, lib. XI: « Vita humana, inquit, proprie uti ferrum est. Ferrum si exerceas, conteritur; si non exerceas, tamen rubigo interficit. Sic et homines exercendo conteruntur; si nihil exerceas, inertia et torpedo plus detrimenti affert quam exercitatio. » Plato solebat admonere, « Ut neque corpus sine animo exerceamus, neque animum sine corpore, ut pariter utriusque curam habeamus. Nam alterum athletarum est, alterum inertium. » Ita Laertius, lib. III. Apud Lacones in pretio erat jus, quod illi nigrum vocat; quare Dionysius, Siciliae tyrannus cocum emit Laconicum, eique jussit ut hoc sibi appareret. Feit ille quod ibi rex gustasset, quasi ingratum expulit. Tum cocus: « Hoc jus, ait, o rex, sumendum est, postquam te Laconum more exereeris. » Ita Plutarchus, in *Laconic.* S tanta præstat exercitatio corporalis corpori, quanta præstat exercitatio spiritalis animæ et spiritui. Vide dicta *Levit. cap. XXIII*, 28.

Quarta, S. Nilus, Maximus et Philothens apud Turriannum, lib. V *Pro epistolis Pontificum*, cap. VI, sic explicat: corporalis exercitatio, id est refectio passionum, parvi momenti est præ pietate, id est præ apathia et contemplatione Dei, quam inducit apathia. Verum hic sensus nimis

sublimis est, nec literalis, sed accommodatilius est, aut symbolicus. Adde, nisi sane intelligatur, Stoicum quid aut Origenicum sapit. Plenam enim illam Stoicorum apathiam, quæ nullo metu, ira, cupiditate moveatur unquam, in hac vita adipisci impossibile est: qui enim sic esset *ἀπαθής*, aut angelus esset, aut saxum, inquit Hieronymus ad *Ctesiphontem*. Patres ergo citati, et veteres Eremitæ, qui in apathia omnem perfectionem ponebant, intelligunt apathiam talem, non quæ omnino passionem aliquam aut motus concupiscentiæ non habeat aut sentiat, sed quæ rarius et frigidius sentiat, facileque eos supprimat et coercet, ex longa et assidua eorum mortificatione et victoria.

PROMISSIONEM HABENS VITÆ QUÆ NUNC EST, ET FUTURÆ. — « Vitæ quæ nunc est, » ut scilicet hanc vitam peccatam, longævam et rebus omnibus necessariam instructam agamus. Promissio ergo hæc, est illa quam proponit Christus, *Matth. VI*, 33: « Quærite primum regnum Dei, et justitiam ejus, et hæc omnia adjicientur vobis. »

Dices: Pii sæpe pauperes sunt et miseri, imo fame et ærumnis moriuntur; ergo pietas non habet promissionem vite presentis pacatæ et beate. Respondeo ad antecedens, id subinde accidere; sed tunc Deus hunc defectum vite presentis a se promissæ compensat spiritualibus donis et æternis deliciis: sic enim si tibi promiserim aureum, abunde promissum meum expleo, si pro auro tibi equum donem. Vide dicta *Ephes. VI*, 2.

Nota hunc locum pro meritis operum bonorum et piorum; Deus enim non gratis, sed operibus piis, id est, propter opera pia quasi merita, promittit mercedem vite non tantum presentis, sed et futurae. Negat id Beza: quia, inquit, ultronea est et gratuita hæc Dei promissio. Sed perperam: licet enim gratuita sit promissio ex parte Dei promittentis, ab eo enim requiritur opus et laborum, unde non datur ei gratis res promissa, sed pro labore quasi merces. Sicut ergo herus colono ultronee promittit mercedem laboris, si eum subire eam; et tamen colonus laborando in agro, vere vendit per laborem meretur: ita et pietati, id est operibus pietatis, promittit hic Apostolus ex Deo vitam æternam quasi mercedem; quidquid enim promittitur cum conditione operum, vel propter opera, habet rationem mercedis et meriti.

9. FIDELIS SERMO, ET OMNI ACCEPTIONE DIGNUS. — « Sermo, » scilicet qui præcessit, puta quod pietas promissionem habeat vite quæ nunc est, et futura: ita Chrysostomus; et hoc arguit vox « enim, » que sequitur. Quia enim Paulus verbis *Jam* citatis, piis promittit future vite bona quæ nemo vidit; hinc ve quis de iis dubitet, subdit hunc sermonem et promissionem esse fideliem, id est certum et indubitatum. Vide dicta *cap. I*, 13.

10. IN HOC ENIM (scilicet ob pietatem, eam ut vi-

tam æternam piis, et pro pietate, decem) antipromissam assequamur) LABORES (labores magnos exantlamus) ET MALEDICIONES (maledicentia, id est, contumelias et probris impetitur), quæ SPERNAMUS (despicimus, id est, speravimus vel spem fiximus) IN DEUM VITAM, QUI EST SALVATOR OMNIUM HOMINUM, MAXIME FIDELIUM, — *g. d.* inquit Hesselius: Magnam argumentum est pietati repositam esse vitam in futuro, quod tam constanter tot labores sustinemus, et sustinent omnes Sancti, ut in pietate permaneant. Unde martyrium sive testimonium vocatur mors pro pietate obita. Sic I *Cor. XV*, probat Apostolus resurrectionem ex quotidiana periculis, quæ subibat, et ex pugna quam Ephesi habuerat; quæ nihil ei profuissent, si more peccatum homo interit. Sic dicit martyr Justinus, lib. IV *Ecclesiast. Histor.*, cap. VIII: « Nam et ego ipse sectis Platonicis institutus, audiens infamari Christianos, et videns eos impavidos ad suscipiendam mortem, atque omne supplicium tolerandum, considerabam, quod impossibile esset in malitia eos et in libidine conversari. »

Nota, Deum dici « salvatorem omnium hominum, » id est, servatorem et conservatorem corporis et animæ cujusque in vita presentis; sed « maxime fidelium, » quia eos non tantum in presenti, sed etiam in futura vita servabit et salvabit. Ita Chrysostomus et Ambrosius.

Secundo etiam, Deus est a salvator omnium hominum, » quantum est ex parte sua, quia omnibus Christum salvatorem, et mediâ quibus salvari possunt, exhibuit: maxime tamen est salvator fidelium, quia hæc fidem, spem, gratiam, maxime et proxima salutis adjuncta acuta contulit, hosque præ aliis curat et amant. Constat enim Deum magis diligere, curare et cordi habere fideles, justos et amicos suos, quam infideles, impios et inimicos. Ita Theophylactus et Anselmus.

12. NEMO ADOLESCENTIAM TUAM CONTEMNAT. — *Præ adolescentiam, græce est νεότης*, id est juvenutem: non enim proprie adolescens erit Timotheus viginti trium annorum, ut vult Hugo Cardinalis, sed juvenis, qui necdum statam ætatem et perfectam Episcopo dignam attingat. Fortè ergo triginta annorum erat aut circiter: hucusque enim et ulterius se porrigit juvenus.

Putant aliqui hoc præceptum non ad Timotheum, sed ad Ephesios ejus subditos dirigi, quasi eis jubeat Apostolus, ne Episcopum suum Timotheum, ut ipse juvenem, contemnant.

Secundo et melius, alii hoc putant dirigi ad Timotheum, q. d. O Timothee, esto sis juvenis, tuere tamen auctoritatem tuam et imperio utere, ubi res et animarum salus id exigit. Ita Chrysostomus.

Tertio et optime, icem Chrysostomus et Ambrosius, q. d. Esto sis juvenis, ita tamen sancte et graviter te gere, ut non contemnaris, quasi imprudens et leviter juvenis, sed potius ut omnes te quasi patrem amantissimum et senili prudentia

ac maturitate prædium reverentur. Nam, ut S. Augustinus, lib. IV *De Doct. Christ.*, cap. XXVII, ait: « Habet ut obedienter audiatur quantumcumque gravitate dictionis majus pondus vita loquentis; et contra, « ejus vita despiciatur, restat ut ejus prædicatio contemnatur, » inquit S. Gregorius, homil. 12 in *Evangelium*. Hunc sensum exigunt sequentia.

Objicit hic Chrysostomus: Ubi modestia et mansuetudo sacerdotis lucebit. si semper in honore sit, nec unquam contemnatur? ac respondet: In his quidem, quæ ad se pertinent, si contemnatur sacerdos sive Episcopus, constantissime ferre debet: sic enim per patientiam virtus prædicationis ostenditur. Verum in his, quæ aliorum salutem tangunt, contemptui omnino non patat. Id enim non mansuetudinis esset, sed stultitiæ; neque hic mansuetudine, sed auctoritate opus est, ne Ecclesie utilis pereat.

SEN EXEMPLUM (τύπος, id est forma, norma et exemplar vite, quod omnes intueantur, ut illud imitentur, illique se conformant tanquam animata legi, inquit Chrysostomus) ESTO FIDELIUM IN VERBO (id est, in sermone gravi, et tali qualis decet Episcopum), IN CONVERSATIONE (id est, in vita et vivendi consuetudine), IN CHARITATE (Græca addunt, ἐν ἀγάπῃ, id est, in spiritu, ut scilicet zelum et amorem Dei te habere ostendas), IN FIDE (id est, in fidei rectitudine et constantia), IN CASTITATE, — id est, in vite totius puritate.

Moraliter hic nota, ingenia hominum non ab antiquitate, sed a probitate esse censenda. Hinc *Septem.* cap. IV, vers. 8, dicitur: « Senectus venerabilis est non diuturna, neque annorum numero computata: cani autem sunt sensus hominis, et ætas senectutis vite immaculata. » Sic Ambrosius, serm. 90 *De S. Agnele*, inquit: « Computabatur in annis infantia, sed erat senectus mentis immensa. » Sic S. Ignatius, epist. ad *Magnesianos*: « Daniel, inquit, sapientissimus duodecim annorum effectus, Spiritu Sancto repletus est, et illos seniores omnium vanam habentes, calumniatores et aliene pulchritudinis appetitores esse manifestavit. Samuel etiam cum esset pusillus, no-nagenarium holi sacerdotem per inereptionem redarguit, quod filios honorificaret supra Deum. Similiter et Jeremias audit a Domino: Noli dicere, quia puer ego sum. Salomon duodecimo ætatis anno regnare incipiens inretricum pro parvulis questionem dissolvit. Josias vero octo annorum ariæ et monumenta subvertere cepit, lucos excidere, templa deicere, quæ demonibus fuerant consecrata. »

Nota secundo, Prælatos magis docere, et auctoritatem sibi conciliare debere exemplo sanctæ vite, quam ædite docendo et concionando. Plus enim, inquit Seneca, homines oculis, quam auribus credunt. Hinc S. Petrus, epist. I, cap. v, præscribit Pastoribus ut fiant « forma gregis; » et *Christus*: « Vos estis, inquit, sal terræ, et lux

mundi: non potest civitas abscondi supra montem posita. » Qua de re præclare admonet Heliodorum Episcopum Hieronymus, in epistaphio Neopolitani: « In te, inquit, omnium oculi diriguntur, domus tua et conversatio tua quasi in specula constituta, magistra est publicæ discipline: quidquid feceris, id sibi omnes faciendum putat. Cave ne committas, quod aut qui reprehendere volunt, digne lacerasse videantur; aut qui imitari, cogantur delinquere. »

13. DUM VENIO, ATTENDE LLECTIONI, EXHORTATIONI ET DOCTRINE. — « Sacra Scriptura, ait Ambrosius, lib. III *De Fide*, cap. VII, est liber sacerdotalis: » et, ut inquit S. Dionysius, *Eccles. Hierarch.*, cap. I, « est substantia sacerdotii nostri. » Hinc infert Chrysostomus, hom. 2 *De Providentia*: Omnia vite tempus est breve: quod si vel longissimum esset, consumendum foret in scientia Sanctorum Scripturarum. Ita Paulus morti licet proximus, libros tamen (sacros utique) se ad afferri mandavit, II *Timoth.* IV, 13. In quem locum D. Thomas refert, S. Ambrosium (quod et in ejus Vita refertur) usque ad ultimam suam ægritudinem non cessasse unquam scribere, commentari et exponere sacras Litteras, adeoque commentationi Pa. XLVII, « Magnus Dominus et laudabilis nimis, » immortalium esse. Simile de Ven. Beda narrat auctor Vita ejus.

14. NOLI NEGLIGERE GRATIAM, QUÆ IN TE EST, QUÆ V DATA EST TIBI PER PROPHETIAM, CUM IMPOSITIONE MANUUM PRESBYTERII. — Nota: Pro gratiam, Græce est χάρις, id est donum, officium scilicet et ordinem. Episcopi: ita Ambrosius; et, ut Chrysostomus, auctoritatem et munus docendi, de quo jam dixit: « Attende doctrinæ; » quod in sua ordinatione accipit Episcopus cum gratia hinc officio et muneri necessaria. Respicit enim ad charitatem, fidem, castitatem, quæ in Timotheo requisivæ, vers. 12. Nam Græcum χάρις non tantum facientem significat, ut patet *Rom.* VI, 23: « Gratia (Græce χάρις) Dei vita æterna. » *Rom.* V, 15: « Non sicut delictum, ita et donum (Græce χάρις), » gratie scilicet Christi justificantis. I *Corinth.* VII, 7: « Unusquisque proprium donum (Græce χάρις, scilicet castitatis) habet a Deo. »

Nota secundo: Hæc gratia data est Timotheo « per prophetiam, » id est revelationem, qua Deus jussit Timotheum ordinari Episcopum, cap. I, vers. 18, g. d. Effice et conare, ut veras ostendas prophetias de te ordinando factas.

S. Hieronymus vero ad *Evagrium*, prophetiam hic proprie accipit pro prædicatione futurorum, aut potius pro interpretatione Scripturarum. Hanc enim in sua ordinatione majorem et gloriosam, quam antea, accepisse Timotheum, innuit hic Apostolus.

Verum gratia jam dicta, scilicet auctoritas docendi, aut munus Episcopi, non fuit datum Timotheo per talem prophetiam; sed datum hæc

prophetia data est propter gratiam et talentum episcopatus, ut eo rite perfungi posset. Rursum Vatablus sic explicat: « Noli negligere gratiam, quæ tibi data est per, id est, ad prophetiam, id est doctrinam, scilicet ut propheta, id est doceas populum: sed et hoc coactum videtur. Græcum enim δὲ non ad, sed per significat. Primus vero sensus est genuinus. »

Aliqui viri docti per prophetiam intelligunt orationem sacram, sive verba mystica, puta ipsam formam Ordinationis, quasi Apostolus hic designet ipsam formam sacramenti Ordinis, et mox ejusdem materiam, cum subdit: « Cum impositione manuum. » Hæc expositio nonnullis nova videtur et insolens, sed revera non est. Nam Apostolus, I *Corinth.* XIV, 5 et alibi, prophetiam vocat quamlibet orationem et sermonem sacram, præcipue arcam et mysticum, quales olim erant formæ Sacramentorum (1).

Nota tertio: « Cum impositione manuum presbyterii, » id est per impositionem manuum presbyterii, puta per ordinationem presbyterii, id est cætus presbyterorum, majorum scilicet, id est Episcoporum. Episcopus enim ordinatur ab aliis tribus Episcopis, qui ordinando Episcopo manus imponunt. Ita Chrysostomus, Theophylactus, Eusebius, Theodoretus. Sic et novellis sacerdotibus, cum ordinantur, Episcopus, et post Episcopum sacerdotes omnes vicissim manus imponunt, ut jubet Concilium Carthaginense IV, canon. 30.

Aliter Anselmus: « per impositionem manuum presbyterii, » id est, inquit, per ordinationem, qua ordinatus et consecratus es presbyter, id est Episcopus. Et Maldonatus in *Notis manus*, per « presbyterium » accipit ordinem sacerdotalem. Rursum Vatablus per « impositionem manuum presbyterii » intelligit electionem qua a presbyteris, id est senioribus Christianis, Timotheus erat electus in Episcopum: impositio enim manus signum est externum electionis, inquit, g. d. Per manus impositionem tanquam signum electus es in Episcopum a senatu Christiano, qui est Ephesi; que verba sapienter heresim: innuunt enim senatum laicum et civilem constituere et ordinare Episcopos aliosque Ecclesie ministros. Adde, nusquam legitimus laicos Episcopis aut presbyteris manus imposuisse. Nimirum hæc et multa alia Vatablo, viro Catholico, ab hereticis ejus scripta excedentibus infarta et supposita sunt.

Hinc nota quarto, Ordinem esse Sacramentum: nam cum officio quoque confert, confert et gratiam illi officio necessariam. Et materia Sacramenti hic est impositio manus, sub qua reliqua intelligit: forma vero sunt verba, quibus simul ac materia adhibetur, Episcopus tribuit ordinato potestatem sacram. Id magis patebit ex epistola II, cap. I, vers. 6. Unde S. Augustinus in *Quest. novi*

(1) Hunc sensum sequitur Allioli.

et ceteris Testamenti, *Quest. XX, ex Joan.* XX, ubi Christus insufflans in Apostolos dixit, *Accipite Spiritum Sanctum*: « Insufflato, inquit, hæc gratia quædam est, que per traditionem infunditur ordinatis, per quam commendationes habentur; unde Paulus dixit: Noli negligere gratiam, » etc.

Nota quinto: Hinc aliqui probabiliter cum Sylvestro, voce *Ordo*, II, § 4, et Bellarmino, lib. I *De Sacramento Ordinis*, cap. IX, contra D. Soto, Ruardum et Navarrum, docent manus impositionem esse de essentia Ordinis, præsertim Episcopalis. Quia Scriptura, Concilia et Patres Ordinem vocat passim manus impositionem. Significat enim hæc impositio ordinandos quasi victimas Deo consecrari et offerri: sic enim olim sacerdotis manus imponebant victimæ, cum eam Deo offerrent, *Exodi* cap. XXIX, vers. 10, 13, 19, hoc ritu significantes se victimam a sua manu et potestate in Dei jus transcribere. Simili ceremoniam præci Romani servis suis se abdicabant, cum eos sub libertati restituerent; tenentes enim caput servi dicebant: Hunc hominem liberum esse volo; et mittebant eum manu sua. Sic et filii Israel Levitis manus imponebant eos a se quasi abdicarunt, Deoque obtulerunt et consecrarent, *Num.* VIII, 10. Sciant ergo sacerdotes, se hæc ceremonia Deo sacratos esse, ut ei se totos dediderint, non sibi viventes, sed vitam totam divinis ministeriis, præsertim in aliorum salute procuranda, impendant et superimpendant. Idem factitatur Gentiles: narrat enim Livius, lib. I, dec. 4, capitulum Numa Pompilii, cum summo sacerdote initiaretur, manus esse impositas.

Secundo, hæc manuum impositio significatur, inquit Amalarius, lib. I *De Eccles. Offic.*, cap. XII, illapsus Spiritus Sancti, quem ordinans precatur dari ordinando, ejusque regimen, directio et protectio, ut scilicet Spiritus Sanctus ordinandum quasi manu sua regat et dirigat. Unde S. Dionysius *De Eccles. Hierarch.*, cap. V, pag. 3: « Manuum impositione, inquit, indicatur protectio principis et præfactoris Dei, qua interne illi ipsi, quibus manus imponitur, tanquam filii ab eo gubernantur: quæ virtutem ac robur ipsi largitur, et adversarias potestates repellit. »

Tertio, hæc manus impositio non tantum regimen et protectionem, sed et plenitudinem spiritus et gratiæ, que datur ordinatis, ac potestatem, quam in alios accipiunt, significat. Unde S. Dionysius supra: « Manus, inquit, impositio docet, eos qui sacris Ordinibus participant, sacras omnes actiones quasi sub Deo efficere, utpote quem habeant operationum suarum in omnibus ducent atque rectorem. » Sic *Numer.* XXVI, 18, Josue repletus est spiritu sapientiæ, quia Moyses posuit super eum manus suas, quasi consecrans eum ducent populi. Sic Christus, *Matth.* XIX, parvulis manus imposuit, et ascendens in celum, elevatis manibus, suis discipulis benedixit, hoc ipso significans se plurima eis dona de sua plenitudine

largiri. Hinc S. Hieronymus, in cap. lix *Isaie*, ait ordinationem a Grecis vocari *καρτορία*, id est manus impositionem, eo quod non solum vocis imprecatione seu verbis mysticis, sed etiam manus impositione impletur, id est perfrictum et consummetur.

Denique nota, hic per presbyteros significari Episcopos; neque enim simplices presbyteri, sed Episcopi Timotheo Episcopo manus imposuerunt. Vide dicta *Philip.* 1, 1. Perperam ergo Erasmus et Komnitiis voluit inter presbyterum, sacerdotem et Episcopum nihil olim interfuisse.

13. HEC MEDITARE. — Ταύτα μελέτη, id est hæc cura, hæc satage, his jure studium omnesque corporis et anime vires impende et intende.

16. ATTENDE TIBI (ut actiones et mores tuos omnes sæpius lustres, examines, corrigas, componas), ET DOCTRINE, — ut scilicet alios doceas, ille duo munia sunt Episcopi, imo cuiusvis pastoris, doctoris et concionatoris, ut scilicet primum se, deinde alios doceat. Qui enim seipsum negligunt et totos se in proximorum curam effundunt, evanido spiritu laborant, nec sibi, nec aliis prosunt. Vive tibi, attende tibi, si vis aliis pro-

desse. Pulchre S. Bernardus, lib. II *De Consider.* ad *Eugenium*: « Quatuor, inquit, tibi consideranda reor, te, quæ sub te, quæ circa te, quæ supra te. A te tua consideratio inchoet, ne frustra extendaris in alia, te neglecto. Quid tibi prodest si universum mundum lucreis, te unum vendens? Et si sapiens sis, deest tibi ad sapientiam, si tibi non fueris. Quantum vero? ut quidem senserim ego, totum. Noveris licet omnia mysteria, noveris lala terræ, alta cæli, profunda maris, si te nescieris, eris similis ædificanti sine fundamento, ruinam, non structuram faciens. Quidquid extruxeris extra te, erit instar congesti pulveris, ventis obnoxium, » etc.

HOC ENIM FACIENS, ET TE IPSUM SALVUM FACIES, ET EOS QUI TE ADIUNT. — Nota, cum qui sibi attendit, seipsum; et qui doctrinam intendit, alios salvos facere. Ecce hic Paulus Timotheum et similes vocat sui et aliorum salvatores. Sic Abdias, vers. 21, prædicit ascensuros salvatores in montem Sion. Non ergo fit injuria Christo, si Sanctos vocemus salvatores et advocatos nostros, si beatam Virginem vocemus dominam, patronam et spem nostram.

CAPUT QUINTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Docet quomodo se Episcopus gerere debeat cum senibus, juvenibus, puellis.

Deinde, vers. 3, docet Episcopum esse providere viduis, quæ vere sunt viduæ, ac præsertim iis quæ in misericordie operibus probata, et castitatem vidualem vocendo professæ, in Ecclesiasticarum viduarum curam collectæ et selectæ sunt: ideoque vult eas seniores esse, ne fidem Deo datam, id est votum castitatis, violent: juniores autem mavult nubere et familiam regere.

Tertio, vers. 17, jubet presbyteros, qui laborant in verbo et doctrina, honorari et liberaliter alii. Quarto, vers. 20, docet, Episcopum esse corrigere peccantes, nec cito alicui manus imponere.

1. Senioreme ne increpaveris, sed obsecra ut patrem; juvenes, ut fratres, 2. anus ut matres, juveneculas ut sorores in omni castitate. 3. Viduas honora, quæ vere viduæ sunt. 4. Si qua autem vidua filios aut nepotes habet, discat primum domum suam regere, et mutuum vicem reddere parentibus: hoc enim acceptum est coram Deo. 5. Quæ autem vere vidua est, et desolata, speret in Deum, et instet orationibus et orationibus nocte ac die. 6. Nam quæ in deliciis est, vivens mortua est. 7. Et hoc præcipe, ut irreprensibiles sint. 8. Si quis autem suorum, et maxime domesticorum, curam non habet, fidem negavit, et est infideli deterior. 9. Vidua eligatur non minus sexaginta annorum, quæ fuerit unius viri uxor, 10. in operibus bonis testimonium habens, si filios educavit, si hospitio recepit, si sanctorum pedes lavit, si tribulationem patientibus ministravit, si omne opus bonum subsecuta est. 11. Adolescentiores autem viduas devita. Cum enim luxuriata fuerint in Christo, nubere volunt: 12. habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt. 13. Simul autem et otiosæ discunt circuire domos: non solum otiosæ, sed et verbosæ et curiosæ, loquentes quæ non oportet. 14. Volo ergo juniores nubere, filios procreare, matres familias esse, nullam occasionem dare adversario maledicti gratia.

15. Jam enim quædam conversæ sunt retro Satanam. 16. Si quis fidelis habet viduas, ministrat illis, et non gravetur Ecclesia: ut iis, quæ vere viduæ sunt, sufficiat. 17. Qui bene præsent presbyteri, duplici honore digni habeantur, maxime qui laborant in verbo et doctrina. 18. Dicit enim Scriptura: Non alligabis os bovi trituranti. Et: Dignus est operarius mercede sua. 19. Adversus presbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus aut tribus testibus. 20. Peccantes coram omnibus argue, ut et cæteri timorem habeant. 21. Testor coram Deo et Christo Jesu, et electis angelis, ut hæc custodias sine præjudicio, nihil faciens in alteram partem declinando. 22. Manus cito nemini imposueris, neque communicaveris peccatis alienis. Teipsum castum custodi. 23. Noli adhuc aquam bibere, sed modico vino utere propter stomachum tuum, et frequentes tuas infirmitates. 24. Quorundam hominum peccata manifesta sunt, præcedentia ad iudicium, quosdam autem et subsequuntur. 25. Similiter et facta bona manifesta sunt, et quæ aliter se habent, abscondi non possunt.

Decuit Apostolus hactenus Timotheum Episcopum in genere, quomodo se gerere, docere et exhortari debeat. Hic ad particularia descendit, docetque quomodo cum senioribus, juvenibus, viduis, juvenulis, se habere, singulosque alloqui et monere debeat; dicit ergo:

1. SENIOREME NE INCREPAVERIS, — *προσβουλιζομαι μη τινος*, id est seniori ne plagam infligas. Plaga hic intelligitur non verberum, sed verborum, q. d. Senem ne acriter oburgatione verberes. Hæc enim verborum verbera, præsertim si a juvenibus, qualis erat Timotheus, indignantur, magis senes, utpote etate graves et melancholicos, contristant et affligunt, quam juvenes efficiant et affligant verbera virgarum aut baculorum.

Intellige hæc cum S. Gregorio, lib. VII *Epist. indic.* 2, *Epist.* 1, quando culpa senioris exemplo suo, quasi laqueo, non trahit ad interitum corda juvenum: nam si ea trahat, districta increpatione feriendus est, ut Daniel acriter increpavit senes insidiantes Susannæ, cap. xiii, et Christus senes sacerdotes et scribas, populum a se et Deo abducentes, *Matth.* xxiii.

SED OBSECA. — Græcum *παρακαλεω* tria significat: primo, exhortare, ut vertit Vatablus; secundo, consolare; tertio, «obsecra,» ut vertit Noster; idque aptius huic convenit. Vult enim Paulus senes haberi quasi patres, ut si peccent, moneantur quidem ab Episcopo, sed ea reverentia et lenitate, ut potius eos obsecrare quam admonere videatur.

JUVENES, UT FRATRES. — Repete *παρακαλεω*, id est obsecra, vel etiam exhortare; hoc enim magis convenit fratribus, quam patribus, quos, ut dixi, docet obsecrare.

2. JUVENULIS UT SORORES, IN OMNI CASTITATE. — Præcipit, caute et raro, ac non nisi aliis presentibus, cum juvenulis agendum, tunc ut peccati, tum ut suspitionis sinistra periculum evadat Episcopus et quisvis presbyter. Collocationes enim, inquit Chrysostomus, difficile effugiunt suspitiones. Hinc moxet Ecclesiasticus, cap. xlii, vers. 12:

« In medio mulierum noli commorari: de vestimentis enim procedit tineæ, et a muliere iniquitas viri. » Et S. Hieronymus ad *Nepotianum*: « Hospitolum, inquit, tum aut nunquam, aut raro mulierum pedes terant. » Et infra: « Solus cum sola secreto et absque arbitro vel teste non deas. » Vide eundem, *epist. ad Rusticum*. Unde S. Augustinus, teste Possidonio, feminarum, et in eis sororis ac fratris filia, contubernium et consuetudinem declinavit. Vide dicta cap. iii, vers. 2, ad vocem *Pudicum*.

3. VIDUAS HONORA, QUÆ VERE VIDUÆ SUNT. — Quæ scilicet ab omnibus etiam filiis desolata, atque omnibus curis exulte, unica Deo intente et dicatae sunt. Ita Chrysostomus, Anselmus, Theophylactus.

Alludit ad etymon *χιρæ*, quod est *χρησ*, id est destititio, desolor, orbo; sic et latine vidua a viduando dicitur. Unde vers. 3, ait Paulus: « Quæ autem vere vidua est et desolata, » etc. Has ergo viduas, inquit, honora, tum proprie eis honorem congruum deferendo, inquit Chrysostomus; tum oblationibus fidelium eas sustentando: hoc enim est Hebræum *כבוד* *cabad*. Unde Hieronymus in cap. xiii *Matthæi*: « Honor, inquit, in Scriptura non tam in salutationibus deferendus, quam in elemosynis ac munerum oblatione sentitur. »

Notat Chrysostomus et Ambrosius *vere viduam*. Per hoc enim significat fieri posse, ut aliqua sit quæ virum non habeat, nec tamen vidua sit. Scit enim virginem non facit abstinentia a conjugio, sed amor integritatis, qua sine querela et divinis rebus intenta sanctam se Domino exhibeat, eique quasi assidue inhæreat et assideat, ut dixit Apostolus I *Corinth.* vii, 33; hæc pariter se habet in vidua, ut vere sit vidua ad mentem Apostoli.

Quæres, an de omnibus viduis loquatur hæc Apostolus? Respondeo, loqui de omnibus, potissimum tamen de viduis sacris et Ecclesiasticis: ad has enim sensim descendit, ut patebit vers. 9. Ita Chrysostomus.

Vidua
cur
dicitur
χιρæ?

Honora,
id est
curata.

Pro quo nota ex historia Ecclesiastica: Olim etiam tempore Apostolorum, sicut erant virgines que se totas Deo dicabant, ita similes erant et viduæ. Rursum, sicut quedam ex virginibus hinc seorsim in domibus suis degebant, ut patet ex Concilio Carthaginiensi III, *can. 33*, quedam vero simul vivebant, uti jam fit in monasteriis: ita pariter viduæ hinc, aliæ domi seorsim, aliæ simul quasi in collegio vivebant. Unde de his posterioribus loquens S. Ignatius tum alibi, tum in epist. ad Philippenses: «Saluto, ait, collegium virginum et cœtum viduarum.»

Petes, quales essent hæc viduæ Ecclesiasticæ, et cur ab Apostolo vere viduæ vocentur?

Respondeo primo: Hæc viduæ a mundo separate, et quasi mundo mortuæ simul vivebant, utique Deo et pietati vacabant, ut patet vers. 3.

Secundo, profitebantur, imo votebant castitatem: unde vers. 12, ait Apostolus, aliquis ex eis «primam fidem (id est votum) irritam» fecisse.

Tertio, ex eis deligebantur diaconissæ et similes, que imperitas mulieres docerent et præpararent ad baptismum, de quibus Epiphanius, *heres. 79*, que est Collyridianorum; imo tempore S. Pauli omnes hæc viduæ erant quasi diaconissæ, ut dicam vers. 9.

Quarto, erant pauperes et omnibus subsidiis destitute (quas vers. 5 vocat «vere viduas»), ideoque alebantur ab Ecclesia, ut patet vers. 3, et *Actor. vi, 1*. Hinc et Cornelius Papa apud Eusebium, lib. VI *Histor. xxxiii*, ubi omnium ordinum clericos, qui tum Romæ erant, recenset; numerat viduas cum indigentibus mille quingentas, quas omnes, inquit, alit Deus in Ecclesia sua. Nam viduæ que non erant pauperes, vel habebant parentes, filios aut nepotes divites, non habebantur vere viduæ, omnino desolatæ et omni subsidio destitute: quia ab eis alii poterant et debebant, ut hic jubet Apostolus vers. 6.

Quinto, erant etate et sanctitatis professione honorabiles. Unde tanta et tam multa requirit Apostolus ab eis. Hinc etiam in tertia collecta in die Parasceves, que sacerdos orat ordine pro quilibet Ecclesiæ gradu et statu, post clericos et virgines orat pro viduis, ac deinde pro toto populo.

Sexto, erant sub cura Episcopi: unde eas tantopere Episcopo Timotheo hic commendat Apostolus. Hinc Chrysostomus, lib. III *De Sacerdotio*, inter alias causas, cur fugerit episcopatum, quasi omnes suos humeros superans, hanc adfert, quod oporteat Episcopum curare viduas et eis providere.

Septimo, tempore sancti Augustini et Innocentii habebant habitum distinctum, mutabantque laicum in religiosum et nigrum, ac pulla veste incedebant, ut patet ex concilio Arausicano, *can. 15*, et Carthaginiensi IV, *can. 104*; et ex S. Augustino, epist. 199 ad *Edictum*, ubi eam reprehendit, quod lascivo marito vestem laicam deposuisset.

Octavo, erant quasi matres et præfectæ aliarum

feminarum, ut dicam vers. 9. De hisce ergo viduis maxime loqui Apostolus docet S. Chrysostomus, Hesselius et alii, et favent verba Apostoli, quibus operose et exacte eas instruit. Unde vers. seq. eas probari vult, antequam in cœtum huius sacrum admittantur: «Discat, inquit, prima domum suam regere,» etc.

Querit Chrysostomus cur de virginibus regere ac de viduis nihil hic statuat Apostolus? ac respondet, quod Ephesi tunc, utpote in Ecclesiæ primordiis, rare vel nullæ essent virgines, pata simul quasi in collegio vel monasterio viventes, que cura Episcopi indigerent.

4. SI QUA VIDUA FILIOS AUT NEPOTES HABET, DISCAT PRIMUM DOMUM SUAM REGERE, ET MUTUAM VICEM REDDERE PARENTIBUS. — Pro *discat*, græce est *μαθήσεται*, pro quo Syrus, Theophylactus et alii legunt, *μαθήσεται*, id est discat, scilicet filii et nepotes.

«domum suam,» id est viduas domus sue, puta matrem et aviam, regere, *μαθήσεται*, id est pie tractare, et, ut Hieronymus ad *Gerontianum* legit, *colere*. Tempore enim Pauli, filii et nepotes viduarum multarum, cum viderent alias viduas pauperiores ab Ecclesia alii, sollicitabant Episcopum, ut eorum mater vel avia cum aliis viduis ab Ecclesia alerentur, etsi ipsi possent eas alere, ut scilicet earum alimonia et cura liberarentur, et in Ecclesiam earum omnes rejicerent. Unde Paulus mandat hic Episcopo Timotheo, ut eis respondat: Suspende prius matrem vestram et aviam; ubi vero eas amplius alere non poteris, tunc demum ad Ecclesiam confugite. Ita ex Theophylacto Hesselius.

Verum Romana, Ambrosius et alii legunt, *discat*, non *discant*; itaque legendum esse patet ex eo quod viduas ipsas hic instituat Apostolus, non autem earum filios et nepotes. De his enim agit vers. 16, ubi jubet ut matrem suam alant; non ergo idipsum hic eis jubet.

Hinc secundo, Ambrosius *discat domum suam regere*, refert ad viduam; *vero et vicem reddere parentibus*, refert ad filios. Verum tunc in priori legendum esset, *discat*; in posteriori, *discant*; jam autem Apostolus dicit *discat*, idque semel tantum.

Dico ergo Apostolum utrobique loqui de solis viduis, *q. d.* Si qua vidua habet filios aut nepotes, illa antequam in cœtum viduarum, de quibus jam dixi, ab Ecclesia admittatur, *discat primo domum suam*, id est filios et nepotes, regere; *græce μαθήσεται*, id est, ut Syrus, Valæblus et Ambrosius, pie tractare (licet enim Græcum *μαθήσεται* sit neutrum, tamen Apostolus facit activum per hebraismum, sumens *cal* pro *hiphil*), ut scilicet pie filios regat eosque pietate imbuat.

Discat secundo, hæc vidua «mutuam vicem reddere parentibus,» ut scilicet, si parentes adhuc vivant, eis inserviat, opifuletur, ministret, eosque alat, sicut ab eis a puero alita et educata est: uti faciunt cœcum parentibus senibus, a quibus hæc reciproca filiorum pietas in parentes *αποταμίωσις* dicitur. Si parentes sint mortui, reddat eis

vicem in filiis et nepotibus, eisque impendat illam curam, alimonia et obsequium, quod parentibus impendisset.

Talis vidua fuit S. Monica, de qua S. Augustinus, lib. IX *Confess.*, cap. IX: «Fuerat, inquit, unius viri uxor; mutuam vicem parentibus reddiderat, domum suam pie tractaverat, in operibus suis testimonium habebat, nutrierat filios, loties eos parturiens quoties abs te deviare cernebat. Postremo nobis, Domine, omnibus qui ex munere tuo ante dormitionem ejus, in te jam consociati, vivebamus, precepta gratia baptismi tui, ita curam impendit, quasi omnes genuisset; ita servavit, quasi omnibus genita fuisset.»

5. QUE VERE VIDUA EST ET DESOLATA, SPERET IN DEUM, ET INSTET OBRATIONIBUS ET ORATIONIBUS NOCTE AC DIE. — Coniunctio et hic significat *id est*, *q. d.* Vidua que non solum marito, sed et liberis omniumque hominum solatio viduata est et sola derelicta, hæc «speret in Deum,» quod cum experietur provisorem, imo patrem et maritum, adeoque vice omnium habeat Deum, inquit Chrysostomus. *Pro speret*, græce est *ἐπιπέσει*, id est speravit aut sperat, ut legit Ambrosius: subinde enim in talibus preteritum pro presenti ponitur, quasi Apostolus non præcipiat, sed describat que vere viduæ sint, scilicet que omni hominum spe destituta totam spem et mentem in Deum defixerunt. Ita Chrysostomus.

6. NAM QUE IN DELICIS EST, VIVENS (licet corpore, spiritu tamen) MORTUA EST, — *q. d.* Vivens non vivit, sed vitam corporis obruit anime morte. Vide Chrysostomum. «Immodice delicia, inquit Theodoretus, rationem obruunt, et efficiunt ut in corpore tanquam in aliquo sepulcro jaceat.» Unde et Sophocles gulosum hominem taxans: «Non arbitror, inquit, hunc vivere: sed cadaver judico.» Rationem dat S. Augustinus, tract. 47 *in Joann.*: «Vita, inquit, carnis tuæ anima est, vita anime tuæ Deus est. Quomodo moritur caro amissa anima, que vita est ejus: sic moritur anima amisso Deo, qui vita est ejus.»

Vere ergo S. Bernardus, serm. 48 *in Cantico.*: «Vita, inquit, in deliciis agens et mors est et umbra mortis: quantum enim umbra prope est corpori, cujus est umbra, tantum pro certo vita illa inferno appropinquat.»

Vere item S. Ambrosius, lib. *De Viduis*, loquens de Judith: «Advertitis, inquit, quantum nocere possit mulieribus ebrietas, quando viros vina sic solvunt, ut vincantur a feminis. Esto igitur vidua temperans, casta primum a vino, ut casta possit esse ab adultero; nequaquam te ille tentabit, si vina non tentent. Nam si Judith bibisset, formisset cum adultero; sed quia non bibit, haud difficile ebrios exerecit unius sobrietatis et vincere potuit et eludere.» Et S. Fulgentius, epist. 2, ep. XIV: «Egreditur, inquit, castitas oppugnata lasciviam, et ad interitum superbie humilitas sancta procedit: ille pugnabat armis, ista te-

junis; ille ebriofatus, ista oratione. Igitur quod omnis Israelitarum populus facere non potuit, sancta vidua castitatis virtute perfecit. Obtruncavit una mulier tanti agminis ducem, et insperatam Dei populo reddidit liberatam. Tantum potuit humilis castitas,» cujus mater fuit sobrietas.

Nota hic septem virtutes et dotes viduarum: *prima* est, filios et domum pie regere; *secunda*, parentes colere; *tertia*, mortuo marito, sperare in Deum; *quarta*, instare orationi; *quinta*, fugere delicias; *sexta*, esse irreprehensibiles; *septima*, piis operibus se dedere, maxime hospitalitatis et misericordie, ut ait vers. 10. Talis fuit Anna prophetissa, *Luca II*: «Cujus diversorium, inquit S. Ambrosius, lib. *De Viduis*, erat in templo, colloquium in prece, vita in jejuniis.» Talis fuit et Judith; vide Ambrosium ibidem, et Augustinum, lib. *De Bono viduitatis*. Talis etiam vidua fuit S. Paula Romana, Bessilla, Melania, ut patet ex earum Vita apud S. Hieronymum. Talis vidua fuit Euphrasia Romana, que juvenula nobilis et potens, mortuo marito, cum ab imperatore urgeretur ad secundas nuptias, omnibus abdicatis, secessit in Thebaidem, ibique in sancta viduitate inter Sanctos vixit et mortua est. Talis fuit et Constantia, filia Constantini Imperatoris, que Gallicano marito, duci totius exercitus, persuasit, non tantum fidem Christi, sed et continentiam, ceterum et votum uterque nuncupavit; unde ipse se totum pauperum ministeriis addixit, et sub Juliano Apostata gloriosum martyrium consummavit. Talis fuit S. Elisabeth, filia regis Hungarie, que juvenula, marito mortuo, totam se addixit curæ pauperum et ægrotorum. Talis fuit S. Brigida, vidua nobilissima, que totam se peregrinationi ad loca sancta addixit, Romam et Hierosolyam adit, multa monasteria fundavit, multaque alia heroica opera perfecit. Talis fuit Olympias, que Nebrido marito, prefecto urbis Constantinopolitane, secundo conjugii anno mortuo, juvenula secundum maritum respuit. Cumque Theodosius Imperator eam plane conjungere vellet Elpidio cuidam, sibi congeneri, illa resistit, dixitque: «Imperator meus si voluisset me vitam transigere cum viro quopiam, utique non ademisset mihi primum conjugem: nunc eum adimens, matrimonii molestiis me extricavit; et suave continentie jugum mihi imposuit, mentique meæ infudit.» Quare se totam addixit ministeriis templi, elemosinis piisque operibus. Unde mire eam laudat S. Chrysostomus, de qua plura in fine vers. 10. Audi et alias illustres.

Marcella, Romana nobilissima, viro post nuptias septimo mense privata est. Cum eam Cerealis, Consul Romanus, propter ætatem et antiquitatem familie et insignem decorem corporis, ac morum temperantiam ambitiosus peteret, suasque jam grandis natu polliceretur divitias, et non quasi in uxorem, sed quasi in filiam vellet donationem transfundere, Albinaque mater tam clarum præsidium viduata domus ulro appeteret; illa res-

Septem
dotes vi-
duarum.

Vita ani-
me est
Deus.

Vita in
deliciis
est aurum.